

strorum iura colliges? Sed, inquis, si gentis, quae hodie adhuc viget, maiores in Regis aut Ducis ditionem iis iam temporibus venisse, summamque imperii penes Principem fuisse, probauero, vietas dabis manus. Ne tunc quidem a me extorquebis assensum, nisi prius demonstraueris, eam gentem iam olim iisdem, quibus hodie includitur, inclusa finibus prouincia habitasse, atque eandem, qua hodie gaudent, tunc nactos esse, et, in quo momentum maximum positum est, incolumem ab omni vicissitudine vsque ad nostra tempora conseruasse Principes potestatem. Quod vero nullis argumentis effici posse, nisi patriae historiae plane expers haud aegre concedet. Sed age, luculentum huius rei ex Thuringia capias exemplum. Antiquissimis temporibus Reges eam habuisse, et post, Francis imperium tenentibus, in Ducatum redactam esse constat, et diligenter admodum probauit *s T R V V I V S*<sup>e</sup>), nec inter praecipua argumenta, quae Thuringiae Landsassiatum demonstrent, hoc referre dubitauit. Sed parum in hoc probando eum adiuuat, ex *A V C T O R E de Landgraviis Thuringiae* post *S A G I T T A R I V M* et *A L B I N V M* docuisse, Heroldum, Merouigum, Bassinum et Hermenfridum, antiquos Reges, Thuringiae imperasse, multa praecclare ab iis gesta, plurimosque Duces, quos sigillatim enumerat vir doctus, constitutos esse. Qua enim potestate Reges isti vñ sint, id admodum esse obscurum, superioritatem territorialem tempore Caroli M. ignoratam, Duces dominos territorii Comitum non fuisse, Thuringiam iure haereditario

B 2

non

e) in *D. de Iure Landsassiatus in Thuringia, Sect. III. §. 2.*